

creare nares volunt, moscho et cybetto imbuere vestes suas, gravioris vicissim odoris impatientes sunt, viles captivos et pauperes ægros eorumque ulcera aversantur, ideo eis continget, quod scriptum legimus, Isa. III. *In illa die erit pro suavi odore fœtor.* Hinc sæpe qui delicatissime enutriti sunt, teterrime fœtent in morte, uti Antiochus Epiphanes, qui morti vicinus ne ipse quidem fœtorem suum ferre poterat, H. Macchab. IX.

VII. Dæmonum et aliorum damnatorum perpetua societas; siquidem de igne æterno pronuntiat Christus: *Qui paratus est diabolo et angelis ejus, Matth. XXV.* Sicut ergo beatis ingens gaudium est versari cum beatis aliis, ita damnatis ingens æror erit versari cum dæmonibus et damnatis aliis; tum quia res miserrima est cogi semper esse in medio miserorum, pati aspectum omnium malorum, quæ eis inferuntur, et audire querimonias; tum quia omnes se mutuo oderunt; tum quia valde credibile est, dæmones etiam post judicii diem fore tortores hominum, ipsos etiam damnatos velut rabidos canes in se mutuo sævituros. Eo videntur pertinere verba illa Eccl. XXXIX. *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt: et in furore suo firmaverunt tormenta sua.* Justum vero hoc tormentum est, ut sentiant damnati dominorum suorum clementiam et benignitatem, quibus se per peccatum subjecerunt, seu ut Lyranus in illum locum ait: *Ut qui fuerunt eis voluntarie subjecti in culpa, eis involuntarie subjiciantur in pœna.* Cum princeps sacerdotum Ananias præciperet adstantibus ut percuterent os Pauli, respondit Paulus: *Percutiet te Deus, paries dealbate, Actor. XXIII.* Pari jure reprobi, quia præter fas et æquum alios percutere ac premere consueverunt, ideo mandabit Deus ministris suis, dæmonibus, ut vicissim in inferno percutiant eosdem. Valerianus imp. cum fidei christianæ sacra cœpisset conculcare, a Sapore Persa comprehensus et pro scabelli usu adhibitus, quoties Sapor equum ascenderet, ab eo conculcatus fuit, apud Eus. I. VII. hist. c. IX. Idem sentiunt damnati, quia enim Deum et sacra omnia pedibus calcantur, ideo etiam ipsi calcantur a dæmonibus, veluti scabella et mancipia eorumdem. Denique, quia dæmonis jussa facere quam Dei maluerunt, ab ipso consilium et opem in adversis requisierunt, ab eodem verbera pro mercede capient, uti Hebræi a Pharaone, pro opere lateritio, in regis commodum peracto. Ita Salomon argumentatur, Sap. XIII. *Quod quidam errantes colebant mutos serpentes et bestias superoacuas (Græce viles) immisisti illis multitudinem mutorum*

*animalium in vindictam, ut scirent, quia per quæ quis peccat, per hæc et torquetur.* Unde non improbabilius concludunt aliqui, dæmones assumpturos varias terribilium bestiarum formas, ad terrendos homines, socios pœnarum, prout ipsi peccaverant, juxta id Deut. XXXII. *Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram atque serpentium.* Oculos lascivorum terrebunt aspectu monstrorum, leonum, draconum, serpentum, bufonum: aures curiosorum, rugibus, mugitibus, clamoribus, maledictis: nares affligent teterrimo odore et plusquam hircino fœtore: linguam et gustum felle et absinthio, veneno aspidum, felle draconum, et si quid his amarulentius est: tactum igneo ardore et mutua corporum compressione atque immensa angustia. Quicumque igitur hic cum inimicis suis loqui, comedere, confidere detrecharunt et quidvis aliud potius pati maluerunt, quam juste punientur, si cum inimicis suis, necnon cum infensissimis sibi dæmonibus æternum considerebunt, nec unquam ab eorum lateribus poterunt discedere?

VIII. Est vermis assidue rodens, quod testatur Isaias, c. LXVI. et ex illo Christus Marc. IX. *Vermis eorum non moritur et ignis non exstinguitur.* Porro multi per hunc vermem intelligunt veros et proprie dictos vermes, qui torquebunt inferos, uti Sanctus Augustinus, lib. XXI. de civitat. cap. IX. Basilius, in Psalm. XXXIII. Innocentius III. pontif. I. de contemp. mun. cap. I. S. Anselmus, in elucidario: *Tertia, inquit, pœna in inferno est, vermes immortales, id est, serpentes et dracones visu et sibilo horribiles, qui ut pisces in aqua, ita vivunt in flamma.* Apposite vero damnati puniuntur per hos vermes. Cum enim omnis pene caro corruperit viam suam et pleraque reproborum peccata sint carnalia, videamusque passim grassari libidinem, gulam et crapulam, apte puniuntur putridis istis vermibus, qui ex gula, libidine indeque putenti carne oriri solent. « Quid namque caro, inquit S. Gregorius, lib. XVI. mor. c. ult. nisi putredo ac vermis est? Et quisque carnalibus desideriis anhelat, quid aliud quam vermem amat? »

Recte etiam et plerique alii per hunc vermem intelligunt conscientiam inferos mordentem; quæ primo, ponet illis ob oculos culpas et flagitia eorum, quæ prius æstimare et agnoscere noluerunt, quo modo Theodos. diaconus Constantem imp. fratrem, a quo primus attonsus et postea iniquissime interfectus erat, crebro per quietem ipsi apparens, habitu diaconi infestavit et poculum sanguine plenum porrigenis dicebat: *Bibe, frater; fugientem quoque et loca permutan-*

## CONCIO IV.

JUSTA PECCATORIS CONDEMNATIO OSTENDITUR.

- I. Peccatorem inexcusabilem ostendit scientia ipsius. — II. Ostendit ejus voluntas. — III. Ostendit proprium judicium. — IV. Ostendit peccati gravitas. — V. Ostendit factum ipsum.

THEMA.

*At ille obmutuit. Matth. XXII.*

Quam vere dixit apostolus ad Hebr. X. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis!* Ecce enim in hodierno evangelio terribile judicium, quod exercuit in hominem, non homicidam aut latronem, non furem aut adulterum, non seditiosum aut maleficum; sed in hominem dumtaxat carentem veste nuptiali, charitate nimirum et virtutibus christianis. Quodque amplius est, damnat hominem non auditum, nec confessum. Reus obmutescit, non excusat, non petit veniam, non negat, affirmat. Cæteri convivæ omnes, stant attoniti et regis voce perterriti: nemo unus illorum pro reo supplicare, aut sententiæ executionem impedire audet, quinimo jubentur et debent ipsi exequi judicium: *Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Quis hic non contremiscat? Sane in judiciis humanis interrogatur et auditur reus: preces et excusationes ejus sæpe admittuntur: reus se defendit aut certe veniam implorat: inveniuntur qui pro illo supplices afferunt libellos. Nihil horum hic factum aut concessum, et quamobrem? An quia hic reus repræsentat hominem in peccato morientem, ubi cælestis rex cum eo intrat in judicium? Sane ita est. Testatur S. Job, c. IX. *Si repente interroget, quis respondebit ei?* inquit. Nimirum coram Deo quilibet peccator adeo inexcusabilis erit ut nec verbum quidem pro se respondere queat, quod hic palam faciemus.

I. Ergo peccatorem inexcusabilem ostendit scientia ipsius. Nam primo, scivit lumine naturali, Deum non offendendum, et malum esse peccare: deinde, lumine fidei multo clarius id agnovit. Hac ratione arguit apostol. ad Rom. I. gentiles quod cum ex creaturis cognovissent Deum, non glorificaverint eum, sed in omnia scelera se effuderint: *Ita ut sint inexcusabiles,* inquit. Deinde, cap. II. multo magis Judæos tamquam magis adhuc inexcusabiles. Gentiles enim lumine naturæ tantum et obscure intelligere poterant gravitatem et supplicia peccatorum, Judæi autem præterea noverant eam per legem Mosaicam et doctrinam prophetarum: *Propter quod, inquit, inexcusabilis es, o homo, qui*

tem majoribus insequeretur clamoribus, Theophan. apud Baron. an. 659. Scriptum enim est, Ezech. XXXV. *Cum sanguinem oderis, sanguis te persequetur.*

Secundo, ponet eis ob oculos magnitudinem cælestis præmii, quod sua culpa perdiderunt: gravitatem atque æternitatem pœnarum, quas incurrerunt sua sponte. Hæc enim quia in vita cæcorum instar videre noluerunt ibi in medio tormentorum videbunt; quo modo epulo cum esset in tormentis vidit Lazarum, quem prius præ foribus jacentem noluit videre. Exacuit et animat hunc vermem justitia divina, faciendo ut mens eorum hæc omnia assidue et acriter apprehendat, cogitet et recogitet.

Tertio, devorabit inania illorum vota, quæ mente agitabant, cogitando: *O si hoc vel illud egissem!* *O si mihi ad vitam vel per unam horam redire liceret, etc.* Hæc enim omnia vana et inania esse ostendet, sicque ad desperationem eos adiget atque in furoribus convertet, ut seipsos dilaniare, ac commanducare linguas suas incipiant præ dolore, et blasphemare Deum cœli præ doloribus et vulneribus suis, ut dicitur Apocal. XVI. et sic agant pœnitentiam frustraneam, qui prius agere noluerunt fructuosam, et seipsos lanient qui prius membra et sensus suos mortificare noluerunt. De Zenone Eutyechiano imp. quem uxor vivum in ebrietate sepelivit, scribit inter alia Cedrenus: « Satellites qui ad sepulcrum, in quo repositus fuit, custodiendum erant collocati, retulerunt se per duas noctes lamentabilem vocem e sepulcro audivisse: Misere-mini, et aperite mihi. Cum illi dicerent: Alium jam regnare: Nihil, inquit, curo, in monasterium me adducite. Sed cum non aperiretur, ferunt aliquanto post monumentum fuisse reclusam, inventumque in eo Zenonem, qui præ fame suos ipse lacertos manderat, et caligas quas gestabat. » Hunc in modum inferi in stygio sepulcro inania concipient vota: *Aperite o superi, aperite.* In monasterium me detrudite, cædite, concidite, etc. qui nihil horum audire, dum viverent, volebant.

Quando igitur videmus, auditores, sævissimum illum damnationis gladium sibi in suum malum reprobos eudisse, mirari jam non possumus, cur obmutuerit homo ille a rege increpatus ob defectum vestis nuptialis. Quid enim respondebit peccator ad judicis sententiam, quando eam sibi quodammodo in se dictavit? Videat ergo unusquisque, si salutem suam amat, quid agat cum peccatum aliquod perpetrat, quantum sibi malum creet, etc.

judicas, q. d. o Judæi, quia judicas et condemnas gentilem ob peccata: tu enim eorum gravitatem et supplicia melius agnovisti. Jam vero Christianus in ista cognitione longe superat Judæum: quia ergo ratione excusabilis sit ipse? Judæis dixit Christus, Joan. XV. *Si non venissem et locutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Id ipsum multo magis dicet Christianis: Natura dicit, honesto vestitu prodeundum esse ad nuptias: eadem natura dicit, obviandum Deo cum conscientia pura: sed id ipsum præterea docet nos evangelium, et imprimis hodiernum; deinde, alia plura, uti illud de sponso, cui obviaverunt prudentes virgines lampadibus ornatis et ardentibus, etc. Et quoties hujus rei commonefacti sumus in confessione et concione!

Secundo, scivit propositum sibi a Deo præmium et pœnam, vitam et mortem, cœlum et infernum juxta id Ecclesiast. XV. *Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris porrigere manum tuam: aqua refrigerans, gloriam significat: ignis crucians infernum.* Hoc inquam scivit seu credidit peccator, sibi ergo imputet, si elegit ignem. Si quis nosset decretam a rege mortem ei, qui portam civitatis fuerit egressus et nihilominus egredi vellet, quis non diceret illum mortem ultro eligere adeoque inexcusabilem esse?

II. Ostendit ejus voluntas, quia noluit induere vestem nuptialem, cum tamen habere talem potuisset. Imprimis enim potuit eam parare per pœnitentiam et sacramenta passim obvia et prostantia. Unde Euthymius, Matth. XXII. ait: « In nuptiis corruptibilibus respondere quispiam posset, quod digna stola difficilis inventu foret. In his autem incorruptibilibus nuptiis ablata est omnis excusatio: in proximo namque est ornatus ac inventu facilis, si modo illum quæsierimus, etc. » Si quis extreme ægrotans audiret in foro prostare morbi sui remedium, ita vili pretio, ut quivis etiam pauperrimus emere illud posset, et nihilominus hoc negligeret: qui non diceret eum mortem ultro incurrere et sibi ipsi temere inferre, adeoque inexcusabilem esse?

Secundo, Deus ipse sæpissime obtulit ei vestem illam, monuitque ad induendam, quoties nimirum vocavit eum ad pœnitentiam et pia opera, per inspirationes, concionatores, libros, exempla, flagella, etc. Ita etiam clamavit Dominus, Joan. V. *Si quis sitit, veniat ad me et bibat: et Apoc. XXII. Qui sitit, veniat, et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis: et prius per Isaiam, c. LV. clamavit Deus: Omnes sitientes venite ad aquas et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite: venite, emite absque argento et absque ulla*

*commutatione vinum et lac, id est, epulas cœlestes. Hæc nummo propriæ voluntatis emenda sunt, ait S. Bern. serm. II. de resurrect. Domini, o exiguum pretium? Silit sitiri Dominus, ait Nazianzenus, orat. in s. baptismo, et si tanto bono sine labore et facillime, scilicet accedendo tantum ad fontem, potiri possumus, cujus demeritis est tantum bonum differre? Hoc idem significavit Dominus in parabola hodierna, cum ait missos esse alios servos ad vocandum invitatos. At illi forte non poterant venire? Haudquaquam, sed: *Nolebant venire, inquit.* Ergo si nuptiis exclusi sunt sibi imputent. Julius Cæsar olim, de factiosis quibusdam civibus jamque ad intercessionem coram prostratis, pronuntiavit vocem illam: *Sic voluerunt, Maiol. tom. III. canic. coll. III. Id ipsum dicere peccatoribus Deus potest.**

III. Ostendit proprium judicium. Nam primum, peccator novit condemnare alios similis vel etiam ejusdem peccati reos. Sic David reum mortis proclamavit divitem, qui pauperis oviculam rapuisse dicebatur, II. Reg. XII. Eandem ob causam taxat apostolus Judæos, qui gentes ob peccata sua condemnabant, interim tamen eadem ipsi faciebant: *Inexcusabilis es, o homo, omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis quæ judicas.* Ita Judæi illi dum alios condemnarunt, malæ fidei agricolas, seipsos jugularunt, cum dixerunt: *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, Matth. XXI.* Sic et Achab contra seipsum tulit judicium, dum alium judicavit, III. Reg. XX. Ita et is qui mnam suam abscondit in sudario, dicens domino suo: *Timui te, quia homo austerus es, tollis quod non posuisti; et metis, quod non seminasti.* Cui respondit dominus: *De ore tuo te judico serve nequam, etc. Luc. XIX.*

Secundo, peccator non fert in aliis, quod agit ipsemet. Non fert uxorem adulteram, ipse est adulter: non fert liberos inobedientes et prodigos, ipse talis est: non fert famulum ebriosum, somnolentum, obliviosum, pigrum, infidelem, ipse tamen talis est: non vult fraudari, ipse fraudat: non vult sperni, ipse spernit. Hoccine non est seipsum condemnare?

IV. Ostendit peccati mortalis gravitas, quæ tanta est, ut vel unum peccatum lethale sufficiat ad damnandum hominem in æternum. Primo, quia habet infinitam malitiam, ratione personæ offensæ, Dei, qui est infinitæ majestatis. Regiæ erant hodiernæ nuptiæ, rex erat, qui offensus est, non agricola, non civis: quid mirum, si reus læsæ majestatis excusare se non potuerit? Accedit perseverantia in peccato. Ut enim homo ille non vestitus nuptialiter, sedit inter convivas

nuptiales, quamdiu toleratus fuit, sine verecundia, et diutius sedisset, si diutius toleratus fuisset: ita et peccator, nisi corripiatur, quamdiu peccandi occasionem habet, tamdiu peccare perget.

Secundo, quia summum Dei contemptum continet, dum peccator fluxa et inania bona, villam, negotiationem suam, Deo relicto sectatur, adeoque a summo et æterno bono recedit, et ad vilissima ac momentanea se convertit. Ob similem causam, dum Israelitæ spreto manna cœlesti, petierunt cæpe et allia et pepones ac carnes, iratus est eis Deus, et succendit eos igne, Num. XI. Atque hanc tam grandem injuriam queritur Deus cœlis quasi testibus tantæ offensæ, Jer. II. dicens: *Obstupescite cœli super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus, duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, dissipatas, quæ continere non valent aquas.* De eodem contemptu queritur Ezech. XIII. *Violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei et fragmen vianis.*

Quantus autem contemptus, sequi creaturam potius quam creatorem? Dæmonem quam Deum? Quid enim respondebit peccator dæmoni in judicio aliquando dicturo: Ecce Deus hominem istum de nihilo creavit, morte sua redemit, innumeris beneficiis affecit, et hæredem regni sui constituit, nec aliud ab eo pro his omnibus exegit, nisi ut eum diligeret, et voluntatem ejus faceret. Ego vero nihil ei unquam dedi, nihil boni optavi, imo plurima damna intuli et mala omnia intentavi; et tamen Deo spreto mihi per omnia obsecutus est, pluraque sæpe, quam requirerem, ad placitum meum fecit. Quid, inquam, ad hæc poterit peccator respondere: Nonne obmutescet?

Quid respondebit Christo? Cum audiet judicem sibi exprobrantem apud S. Augustinum, sermo. LXVII. de temp. « Ego te, o homo, de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi spiritum, ego tibi meam imaginem conferre dignatus sum, tu vitalia mandata contemnens, deceptorum sequi quam Deum maluisti. Cum expulsus de paradiso mortis vinculis tenereris, carnem assumpsi, in præsepio expositus et pannis involutus jacui, infantie contumelias humanosque dolores pertuli, iridentium palmas et sputa suscepi, flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus expiravi. En clavorum vestigia, quibus affixus pependi. En perfossum vulneribus latus. Cur quod pro te pertuli, perdidisti? Cur ingrata redemptionis tuæ munera renuisti? Cur habitaculum, quod mihi in te sacraveram,

IV. PARS ÆSTIVALIS

luxuriæ sordibus polluisti? Cur me graviore criminum tuorum cruce, quam illa, in qua quondam pependeram, afflixisti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quam illa, in quam tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi. Et quia post omnia mala tua, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari, despexisti enim in judice veniam. » Quid ad hæc aut horum similia respondere poterit peccator? Illud nimirum unicum: *Montes cadite super nos et colles operite nos, Ose. X.*

V. Ostendit factum ipsum, in quo deprehensus peccator, negare id non potest. Ut enim filii Jacob deprehenso apud se scypho argenteo Josephi in sacco Beniamini, excusare se non poterant, sed dicebant: *Quid respondebimus domino meo, vel quid loquemur, aut juste poterimus obtendere? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum, Genes. XLIV.* Ita et peccator, cum in ejus conscientia inveniet iniquitatem Deum, non habebit, quod respondeat, sed protinus obmutescet: « Quia quod dici sine gemitu non potest, (inquit S. Gregor. hom. XXXIX. quæ est super hoc evang.) in illa districtione ultimæ increpationis omne argumentum cessat excusationis: quippe quia ille foris increpat, qui testis conscientie intus animum accusat. »

Ad hæc sicuti clericus aut religiosus deprehensus sine vestitu clericali aut regulari, clericum aut religiosum eo ipso videtur exuere, nec habet, quo se excusat, si ut laicus tractetur, mulctetur, et incarcerationi a sæcularibus; quia symbolum suæ immunitatis abjecit: ita et Christianus si vestem suæ professionis, quam suscepit, et profiteri in baptismo cœpit, abjecerit, si velut alienus ejiciatur e Christi nuptiis, quid poterit obtendere? Hoc aliquando objecit Elpidophoro apostata et carnifici tam suo quam aliorum orthodoxorum Muritta diaconus apud Victorem Uticensem, l. III. persecutionis Wandal. expandens interim et ventilans lintea illa, quibus Elpidophorum olim e sacro fonte susceperat: « Hæc, inquit, sunt lintea, Elpidophore, minister erroris, quæ te accusabant, dum majestas venerit judicantis custodiente diligentia mea ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abyssu putei sulphurantis: hæc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem: hæc te acrius persequentur flammantem gehennam cum cœperis possidere, quia induisti te maledictionem sicut vestimentum scindens atque amittens veri baptismatis et fidei sacramentum. Quid facturus es miser, cum servi patris familias, ad cœnam regiam congregare cœperint invitatos? »

Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus, exutum stolam rex conspiciat nuptialem, dicetque tibi: Amice quomodo huc venisti, vestem non habens nuptialem? Non video, quod contuli; non nosco, quod dedi. Perdidisti militiæ chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem mensibus texti, et tendiculas crucis, quas extendens aquam mundavi, et purpura mei sanguinis decoravi, non conspiciunt oculi mei? Characterem non video Trinitatis: talis non poterit interesse epulis meis, ligate eum pedibus et manibus, etc. » Hæc ille. Itaque: *Ante iudicium para justitiam tibi*, ait Ecclesiasticus, c. XVIII. ne repente obrutus et deprehensus a districto iudice sine veste nuptiali, non habeas, quo te excuses.

## CONCIO V.

## EXCUSATIONES PECCATORUM VARIE RETUNDUNTUR.

I. Aliqui rejiciunt culpam in Deum. — II. Alii in mundum: 1. In parentes. 2. In heros. 3. In socios. 4. In exempla mala et vulgum. 5. In peccandi occasiones et statum vitæ. — III. In defectus et vitia naturæ: 1. In ignorantiam. 2. In bonam intentionem. 3. In malas inclinationes. 4. In concupiscentiam et passionem. 5. In malam consuetudinem. 6. In diabolium.

## THEMA.

*At ille obmutuit.* Matth. XXII.

Quando primi nostri parentes post admissum peccatum, nudos se esse cognoverunt, vehementer inde confusi, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata, ne videlicet nudati coram Deo apparerent. Quæ quidem folia et perizomata quid indicarent, pulchre explicat Ambrosius eo loco: « Voluit (Adam) se operire quibusdam ficus foliis, inquit, fortasse quibusdam inanibus et umbratilibus sermonibus quos compositis mendaciis assuens ad operiendam conscientiam suæ mentis factique velamen, peccator intexit ut pudenda sua contegat. Jacit enim super se folia, qui culpam velare desiderans, aut diabolium delicti memorat auctorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam persuasorem prodit erroris, etc. » Unde: « Nunc quoque, inquit S. Gregor. lib. XXII. moral. c. XIII. et lib. XXXIII. c. XXXI. humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt, ut cum de vitio suo quisque arguitur, sub defensionum verba quasi sub quædam se arborum folia abscondat. » Sane sciunt etiam pueri et puellæ, cum deliquerunt, texere excusationes; et quidquid tandem delinquant, suam defen-

sionem habent. Quæ cum ita sint: Cur, quæso miser et infelix ille, qui in hodierno evangelio sine veste nuptiali deprehensus est, nullam attulit excusationem ad se defendendum? Cur non consuit folia, ut se iis tegetet, qui vestem nuptialem, qua tegetetur, non habebat? Num tu, o miser solus adeo simplex est, ut nullam excogitare technam et prætexere excusationem queas? Cur statim obmutuisti? Sed nimirum Christus hac parabola sua indicare nobis voluit, nihil valere coram Deo excusationes peccatoris: et sicut folia non sunt apta firmaque vestium materia; sic etiam inanes esse peccatorum accusationes, ac proinde fore ut omnes peccatores coram Deo obmutescant in iudicio. Quod, quam verum sit, videbimus, et excusationes peccatorum audiemus.

I. Rejiciunt aliqui culpam in Deum. Primo, quasi ipse præcipiat et incitet ad peccandum. Quod fecit olim Simon magus; nostro tempore Calvinus et Lutherus. Quos tamen erroris arguit et jugulat Scriptura, Ecclesiasticus, cap. V. *Nemini mandavit impie agere*: et ibid. *Non dicas: Ille me implanavit*, id est, errare fecit: et Psalm. V. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Alioquin iudicabit Deus hunc mundum?* ait apost. Rom. III. Quare merito S. Chrysost. hom. XXXIII. in Acta, satius esse ait sexcenties defodi, quam Deum talia per nos audire.

Secundo, quod Deus sit auctor peccati, eo quod sit auctor actionis peccaminosæ, concurrans cum homine peccante. Sed respondetur, Deum concurrere cum homine peccante, quatenus homo ille est causa efficiens, non quatenus est causa deficiens. Effectum enim producit simul cum homine Deus: sed defectum solus homo: sicut claudicatio non est formaliter a virtute motiva, sed tantum a tibia infirma, licet virtus motiva concurrat ad claudicationem, sed qua est ambulatio, non qua claudicatio. Actio ipsa peccaminosa, quatenus actio est, bona est, ut occisio hominis, v. g. quæ in bello iusto licita et bona est. Quod autem homicidium malum sit, ab hominis peccato venit.

Tertio, quod dederit homini liberum arbitrium, quo peccare potest. Sed respondetur, Deum dedisse homini libertatem, uti gladium: non ut eo Deum aut seipsum offendant; sed ut hostes animæ suæ jugulet, eoque gloriam sibi parat. « Soli inter animantia, inquit S. Bernardus, in tract. de gratia et lib. arbitr. datum est homini posse peccare, ob prærogativam liberi arbitrii, datum autem non ut proinde peccaret, sed ut gloriosior inde appareret, si non peccaret, cum peccare posset: » et infra: « Non fuit culpa dantis

sed abutentis, qui ipsam facultatem convertit in usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. » Imo tanto minus peccare deberet homo, quia liber factus est. Si enim rex aliquis fecisset te principem potentem, divitem, liberum nonne plus eum deberes venerari et minus offendere, quam si tantum nobilem te fecisset, et arcem cum pago, v. g. tibi donasset? Et tamen in priori casu, posses ei rebellare, quia haberes vires; in posteriori non posses. Sic vel ob id ipsum peccare non deberes, quia Deus te libertate donavit. Eris autem nihilominus liber etiamsi non pecces: posses enim peccare, quantum est in te. Et hæc est major gloria, nolle transgredi cum possis, juxta id Eccl. XXXI. *Beatus qui potuit transgredi, et non est transgressus.*

Quarto, quod permittat mala, et dimittat peccatores: *Secundum desideria cordis eorum ire in adinventionibus suis*, cum posset impedire. Sed respondetur, Deum non esse gubernatorem legibus adstrictum, qui proinde debeat impedire mala subditorum, quemadmodum gubernatores humani: sed esse supremum rerum omnium moderatorem, qui supra leges est, et ideo ad illum spectat, non impedire cursum rerum quamvis defectibilem. Cum ergo hominem liberum fecerit ad bonum malumque flexibilem, conveniens est, ut eum agere sinat, prout ipse vult, adjuvando quidem ad bonum, non tamen impellendo. Sic demersio navis non adscribitur peregrino, qui illa vehebatur, quantumvis eam impedire potuerit sed soli nauclero, qui ex officio impedire debebat, ut ostendit S. Thomas, I. II. q. XCVII. art. I. Similiter peccata hominum Deo abscribi nequeunt, quia ipsius est cursum rerum et conditionem cujusque naturæ non impedire.

Quinto, quod impossibilia vel nimis gravia mandarit. Sed contra primum est, quod Dominus, Deut. XXX. ait: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in caelo situm, neque trans mare, etc. sed juxta te est*: deinde, David, Josue, Zacharias, dicuntur in Scriptura, omnia mandata implisse: denique, supra tyrannum fuisse Deus, si impossibilia mandasset. Contra secundum, quod Dominus dicit: *Jugum meum suave est, et onus meum leve*: et Joannes, epist. I. cap. III. *Mandata ejus gravia non sunt*. Sed quemadmodum amanti nihil est difficile: sic non amanti, frigido, delicato, veteroso nihil non grave et intolerabile. Currus unctus facile trahitur: non unctus cum stridore et difficulter.

Sexto, quod subjecerit hominem cælorum influxibus et astris. Sed hæc in signa tantum et

tempora facta, ut serviant homini, propter quem facta sunt omnia: nequaquam vero ut dominantur illi. Deinde, cur homini data libertas arbitrii, si ab astris cogi eum voluit Deus? Mentuntur ergo astrologi, quoties præsagiant ea, quæ ab hominum voluntate pendent, uti dissidia, fœdera, rebelliones, etc. quia in hæc nihil possunt astra: nisi quod appetitum sentientem aliquatenus immutare et sic ad effectus inclinare possunt, nequaquam vero cogere. Quare: *A signis cæli nolite metuere*, ait Jeremias, c. X.

II. Alii in mundum et primo, in parentes partim quod ab illis hæreditarint vitia: partim quod sub ipsorum imperio sint, qui quandoque illicita jubent. Sed contra primum est, quod si a parentibus in prolem transferrentur animi vitia, ex patre malo nullus esset bonus filius, nec ex bono malus: non Cainum genuisset Adam, non Ismaelem Abraham, non David Absalonem, non Ezechias Manassem. Vitia quidem corporis quandoque transeunt in filios, sed et hæc declinari possunt consuetudine et sana vivendi ratione; et deinde animo nihil efficiunt. Quod si præterea malas inclinationes a parentibus hæreditent, ea nullam inferunt necessitatem, sed per disciplinam et virtutis studium facile corrigi possunt. Annon bestię domantur, et artificiose instituuntur: ursus ad saltum, lepus ad tympani pulsationem, asinus ad choreas: quæ tamen contra eorum naturam sunt?

Contra secundum est, quod in iis, quæ legi Dei adversantur, obediendum est magis Deo quam parentibus contraria præcipientibus, quia Dominus ait, Matth. X. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*: et Luc. II. *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Unde Hieronymus, epistol. X. ad Fur. ait: *Honora patrem tuum, sed si te a vero patre non separat*. Agesilaus rex jubente patre ut contra leges pronuntiaret, respondit: *Abs te, pater, a puero didici. Quam ob rem nunc quoque tibi obtempero, cavens ne quid faciam contra legem*: et Agis a parentibus injustum quid rogatus: *Justitiam, inquit, potius quam vos sequar*.

Secundo, in heros, quod ab aliis sibi iniqua præcipiantur. Sed cum plus Deo obligetis quam domino sæculari: *Oportet magis obedire Deo quam hominibus*, ait S. Petrus, Act. V. quando videlicet præcipiunt, quæ Dei vel alicujus superioris præcellentioris mandato repugnant. Num tu obedias domino tuo præcipienti, ut occidas parentem tuum? Minime arbitrator. Cur ergo obedias præcipienti, ut pugnes contra Deum? Sed plaga mihi imminet, ais, nisi obsecutus fuero. Est-